

W d
2032





n. 69/4.



RES EVANGELICA
TERTIO SECVLO INCIPIENTE
SARTA TECTA,
ET ILLVSTRIBVS
ERNESTINÆ PIETATIS
INSTITVTIS
ORNATA, AVCTA, AMPLIFICATA.





Vod DEVS T. O. M. felix, faustum, & fortunatum esse iubeat, summa autoritate, & ex praescripto SERENISSIMI PRINCIPIS, AC DOMINI, **FRIDERICI**, DVCIS SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGRIAE, ET WESTPHALIAE, LANDGRAVII THVRINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGAE, COMITIS MARCAE, ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINII, ET TONNAE, PRINCIPIS, ET DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, & in ludis litterariis, quotquot sub EIVS imperii, & clementiae vmbra acquiescunt, inter secularis supplicationis solennia, quae per orbem CHRISTIANVM agitantur, diuinum munus, sacrarum litterarum, & euangelicae veritatis instaurationis est celebranda; & instituendi quasi ludi seculares, ex quo praelusum est inter superiora ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI huius anni solennia, & quos haec poscebant, sermonum, & tabularum publicarum argumenta ab iteranda seculari supplicatione petita sunt. Digna impensiore cura, & industria religiosiore illa res visa est, praesertim nostra tempestate, vbi iudiciis de toto nouatorum sacrorum negotio varie corruptis est occurrendum; & quidem imperitorum, qui seculi nouationem corruptelis, & offensionibus rei CHRISTIANAE prima instituta metiuntur, temporum vitia sancti operis autoribus, & administris imputant, & propter alieni erroris labem, & communem rebus humanis vitiositatem damnant primos piorum virorum ausus, consilia, & recte facta: maxime ingratorum, qui dum ipsi otiosi fruuntur bonis, & opportunitatibus, primorum confessorum labore, industria, & vitae, fortunarumque periculo, vt & non paucorum sanguine partis, non satis sapere sibi videntur, nisi quicquid hu-
mani

mani hi passi sunt, curatissime intelligent, & culpandum posteris propinent: tanquam hominem exuere possit, qui diuino operi, & sanctiori instituto admo- uet manus. Vt igitur rectoribus iudiciis imbueretur iuuentus studiosa, disce- retque iusta aestimatione pensare beneficii, ad ingratae etiam posteritatis usum conseruati, magnitudinem, atque admirabilitatem virtutis eorum, qui per tot obstantes difficultates perrumpere, & suscipienda periculosa veritatis profes- sione ausi sunt bene mereri de ingratis: visum est, singularis prouidentiae, qua litteris, & luce diuini verbi illustrata sunt vltima haec tempora, rationes, & vias designare, quorundam ex praecipuis confessoribus indolem excutere, & eo- rundem studii, propositique integritatem demonstrare. Repraesentauit eum in finem prima *secularium solennium praelusio*, post explicatas legitimaе, & reli- giose obeundae secularis supplicationis rationes, causasque, propter quas con- iungere plausus conueniat, & gratulabundos communis beneficii recolere me- moriam, qui in diuersis versantur castris, & sibi mutuo secessionem exprobrant, rei euangelicae praecursores, qui sine suscepto factionis nomine, vel muneris titulo eam non minus ornarunt, & illustrarunt, e Gallis *Guilielmum Budaeum*, ex Britannia *Rogerum Aschamum*, & ex hac ciuitate Gothana *Conradum Mu- tianum Rufum*. In ipso opere diuersa operantium studia, nationem, conditio- nem, indolem; quorundam etiam contrarias destinationes, & pugnantes volun- tates non obfuisse successibus, nec retardasse pios conatus; sed hos subinde ac- cuiisse, & confirmasse, exemplis Melanchthonis, Reuchlini, & Pici Mirandulae docuit *praelusio continuata*. Denique non defuisse inter primos euangelicae veritatis confessores, qui nec in ea amplectenda factionis studio ducerentur, nec in profitenda, & propaganda huius vitae commoda, & opportunitates spectarent, nec pro ea tuenda mori recusarent, ex diuersis nationibus, inter quas nec con- iurationis, vel aemulationis vlla suspicio locum habere potuit, exempla pro- duxit *praelusio postrema*, *Vrbani* videlicet *Regii*, *Francisci Lamberti*, & *Aonii Palearii*. Satis inde constare, credo, humana solertia, consilio, & virtute ma- ius opus tentasse confessores, atque in eo perficiendo integre, & incorrupte esse versatos. Superest, vt ciuilibus patrocinii, quo illi vsi sunt, vindicetur integritas, & refellantur, qui primis euangelicae doctrinae patronis exprobrant cupiditates sacrilegas, spesque improbas potiundi bonis ecclesiasticis, contendunt, principi- bus, populo autem vitae licentiam fauendi nouae sacrorum formae causam fu- isse; nunc autem & huic, & illis causam esse renouandi nouitati, abiiciendi- que euangelica placita, tanquam imperantibus, ciuilibus ordinis disciplinae, & bo- nis moribus contraria. Susceperunt hoc in se munus, & parati sunt detergere ab euangelicae veritatis professione, quae ei aspergitur, labem



VIRI AMPLISSIMI, ATQVE CLARISSIMI,
IO, GODOFREDVS LESCHNER TVS,
ET
CHRISTIANVS MICH. FISCHBECK,
ILLVSTRIS GYMNASII PROFESSORES
MERITISSIMI:

ille
de PRVDENTIA FRIDERICI SAPIENTIS,
in negotio emendatae per LVTHERVVM religionis
peroraturus:

hic
de LVTHERI promeritis in maiestatem
disputaturus:

idque III. NOVEMBRIS DIE, HORIS matutinis,
in auditorio CLASSIS PRIMÆ.

Non temere sane in FRIDERICI SAPIENTIS tempora incidit insignis illa rerum conuersio: quo principe aptior ad rei gerendae modum, gestaeque rei famam non potuisset contingere. Conscijs muneris sui, & iuris in sacris, illud ita exercuit, vt haec non tam regere, quam protegere velle videretur, qui illis legitime operabantur. Ita non hebescebat ciuilibus potestatis autoritas, nec, qui diuina virtute, & spiritu inflammati opus DEI vrgebant, susceptamque euangelicae veritatis professionem strenue ornabant, vel turbabantur, vel alienae libidini tradebantur. Huius impotentiae vt resistere vellet, aequitas, & admirabilis sapientia, vt posset, autoritas efficiebat, quam singularis virtutis opinio illi conciliauerat, apud summum non minus ecclesiae antistitem, quam imperii Romani proceres, ipsumque Augustum caput: cuius loco, & honore frui potuisset, si voluisset, cum procerum iudicijs consentientibus eo dignus esset aestimatus. Quantacunque autem boni, & sapientis PRINCIPIS autoritate adeo non nitebatur Lutherus, vt palam professus sit, se ad praedicandum euangelium non indigere ELECTORIS defensione; sed euangelium defendere ELECTOREM. Veram non minus, quam insolentem vocem istam fuisse supra laudati collegae nostri, quae cum hac tabula publicatur, dissertatio ostendit vberius; docuitque exitus. Intacta a clericorum impotentia impe-

tan-

rantium mansit autoritas, minusque perturbata sunt ciuili potentiae, & sacrorum munerum officia: nec rectius hodie cauebitur illa officiorum perturbatio: quae toties reipublicae, & ecclesiae metuenda est, quoties non desunt, qui vel credendi libertatem conuertunt in licentiam, vel ciuili potestate abutuntur ad vim inferendam humanis mentibus: quam si a FRIDERICI SAPIENTIS exemplo capiatur agendi modus, spectatumque eius tantis, tamque salutaribus successibus temperamentum perpetuum existat religiosa negotia tractandi exemplum. Certe his initiis constituta res euangelica SARTA TECTA per duo stetit secula, nec cadet facile, ubi maiorum aemulabuntur fidem, constantiam, prudentiam, modestiam sacrorum, ciuiliumque munerum procuratores. Quibus artibus ubi locus fuit, non SARTA TECTA solum; sed egregie ORNATA, AVCTA, & AMPLIFICATA est res euangelica. Apparuit hoc ex BEATISSIMI huius PATRIAE PATRIS, ERNESTI PII, conatibus, & piae destinationis successibus luculentis. Scilicet illustribus ERNESTINAE pietatis institutis non domi solum ornata est res ecclesiastica; sed foris, & apud exterarum nationum professio euangelicae veritatis mirifice est illustrata, huiusque in aliis orbis terrarum partibus gloriose tentata propagatio. Et quamuis amplioribus successibus tunc obstaret temporum iniquitas, & administrorum conditio, nondum iis praesidiis, quibus tanto operi pares esse possent, instructorum: dedit tamen PIVS PRINCEPS posteris, quibus rei euangelicae amplificatio cordi esset, perficiendi pia destinata exemplum, animum, occasionemque praeparandi se rectius, qui tanti operis velint esse administrari. Certe ERNESTINAE pietatis institutis puer imbutus est, cuius consilio, & ministerio potentissimus Daniae REX utitur in propaganda per colonias suas Indicas, vicinasque orientis prouincias, dum Belgae, Britannique pios conatus adiuuant, veritate euangelica. Quid ad huius exemplum in extremis septentrionis partibus, Siberia, addicti euangelicae religionis professioni, capti quidam, & illuc relegati Suecorum praefecti militares tentauerint, perfecerintque, & quam pulchre exilii sui aerumnas solati sint imbuendo pueros euangelicae pietatis praeceptis, ex scriptis eorum ea de re litteris non sine voluptate intelligitur: quarum exempla vulgari operae pretium est. Non vltima secularis laetitiae materia sunt certatim apud exteros, barbarosque hoc temporum tractu propagata pia instituta. Parcius in posterum, meminerint aduersarii, obiicere ecclesiis nostris viduitatem, & apostolicae virtutis penuriam; modestiusque exultent missionum suarum successibus. Satius est ad Christi cultum inter barbaros vulgandum, & amplificandum coniungere studia, coniurare amice, & consentire de modo conuertendi legitimo, & apto instrumento, videlicet verbo prophetico, & apostolico; atque hoc vnice inculcando fidem barbarorum prouocare, & confirmare con-



sentanee illi viuendi exemplo. Malabarice editus, & Tranquebare excusus NOVI TESTAMENTI codex: cuius exemplum non ita pridem SERENISSIMI PATRIS PATRIAE bibliothecae adiectum est: nec non collecti, sacrisque Christianis initiati gentis illius coetus, & varia instituta, ad commendandam pietatem Christianam, vulgandamque latius inter barbaros pertinentia, satis indicant, quid isto pacto profecerint nostrates? quorum studium si aduersarii bona fide imitari, quam damnare, maluerint, rectius consulent & sibi, & rei Christianae vniuersae. Recentiora talia rei euangelicae incrementa, maxime, quae ad ERNESTVM PIVM autorem, vel adiutorem referri possunt, ex actis publicis manuscriptis, cum illa excutienda liberalissime suppeditasset summe reuerendus illustris PROTOSYNEDRII SAXONICI, quod FRIDENSTEINII est, consiliarius, Cyprianus, repraesentare, & sermonibus publicis celebrare instituerunt duo sacrarum litterarum studiosi iuuenes, ingeniis, doctrina, & virtute florentissimi, & de iuuentute nostra scholastica bene meriti,

IOANNES ANHARDVS LOEFLERVS,
COBSTADIO,
& IOANNES HENRICVS CALLENBERG,
MOLSCHLEBIO, oriundi:

ille operis vicariis in supremis cathedris ILLVSTRIS GYMNASII per integrum pene annum; hic scholis Arabicis inter ferias cereales habendis in quorundam alumnorum gratiam, quibus ORIENTIS litteratura impensius cordi est, perfuncti. Quamobrem cum sui muneris esse putarent, continuanda secularia solennia inter coetus dudum sibi familiares aliqua ornare opera, exponenda sibi proposuerunt

primus
P II ERNESTI studia, & beneficia in euangelicam
Russorum Ecclesiam:

alter
EIVSDEM destinata, & conatus in munienda via
doctrinae euangelicae inter exterarum gentes vulgan-
dae, & amplificandae:

idque

idque IV. NOVEMBRIS die, post horam VI I. matutinam, in auditorio CLASSIS PRIMAE. Non pigebit auditores, quotquot euangelicae pietati fauent, feruens optimi PRINCIPIS in Russos, Abassinosque studium ex memoranda publice consignatorum de utroque negotio actorum summa recognoscere, nec non quo honore, & comitate RVSSORVM DOMINVS, qui se (†) *αυτοκράτορα* appellat. PIVM ERNESTVM fuerit profecutus? (††) Publicam denique laetitiam auget,

(†) *Αυτοκράτορος* titulus adscriptus est nomini Magni Domini Czar, & Magni Ducis Alexii Michaëlidæ in epistola ad ERNESTVM PIVM, Saxoniae ducem, scripta, quam legatus Simeon Protopouus hic Gotthae exhibuit, & quae subscribitur: Scriptum in imperiali nostra Metropoli, Moscouia, anno a condito mundo septies millesimo centesimo octuagesimo secundo, mense Iunio. Qui in summi principatus notam Latine Augustus, Graece *αυτοκράτωρ* dictus est; idque non modo ex usu Graecorum historiae Augustae scriptorum; sed ex lege, & constitutione publica, cuius Epitome Dionis facit mentionem libro XLIII. p. 157. & LIII. p. 194. edit: Sylburg, fol. 1590. Initio *αυτοκράτορ* nomen substitutum est τῆ βασιλέως nomini, quod hoc esset inuisum; deinde quod dignius illud esset, hoc vilius, & humilius. Liberalius illud temporum tractu, florentium videlicet Augustorum filiis, attributum esse, Ezechiel Spanhemius notauit obseruat: ad Iuliani Imper. Oration. I. Vnde plures saepe *αυτοκράτορες* dicti sunt a Getae, & Caracallae temporibus. Adeo non extremis saltem seculis, apud Byzantinos demum, vt Carolus du Fresne in Glossario Graec. contendit, discrimen extitit inter vocem βασιλεύς, & vocem *αυτοκράτωρ*. Dudum hoc summi principis nomen quasi proprium fuit, nisi honoris caussa summorum principum tribueretur filiis.

(††) Et Arabice postremus sermo scriptus est: qua lingua quamuis recitare eum superuacuum visum fuerit auctori; non recusabit tamen, vt & tabulas Grammaticas, nec non N. T. Arabicum, ad modum N. T. Syriaci Gutbirii, edere, ex quo litterarum formae praesto fuerint: idque ad iuuandum, & illustrandum studium orientalis litteraturae, qua ad propagandam inter exteros euangelicam veritatem opus est. Discipulus est noster Arabicae nationis viri doctissimi, Salomonis Negri, Damasceni, Ludolforum consilio, quo potissimum ERNESTVS PIVS in tentanda inter exteros enangelii publicatione utebatur, inducti, vt, ante aliquot annos magistrum in lingua patria operam litteraturae orientalis cupidis iuuenibus euangelicae religioni addictis commodaret: qua semel defunctus, & valetudinis caussa solum vertere coactus, vincere postea, quod me-

mora-

QK 914 2032
get, cumulatque Carolini temporis, in quod incidimus, bonorum ominum plena recordatio. Nacta est patria sub Carolo Magno rempublicam, & cum Christiana religione ciuili disciplinae ordinem, sub Carolo IV. ratam, & securam imperantium successionem, sub Carolo V. credendi libertatem: quid a GLORIOSISSIMO CAROLO VI. expectare possit, spectata singularibus virtutibus, & ornata inusitatis successibus principatus eius initia docuerunt? Hos, dum aequum, & pium est, bonis prosequi omnibus, & pro iis ad ORBIS CHRISTIANI salutem continuandis vota publica nuncupare, peculiari tabula conuocabitur panegyris propediem, coram qua isto pietatis officio defungemur. Interim post solennia secularia in coetibus ecclesiasticis piis cerimoniis celebrata, ut ad ea in atriis scholasticis continuanda frequentes concurrant

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI
PATRONI, ET FAVTORES,

& perpetuitatem munerum diuinorum cum grege populi futuri curatis precibus efflagitent, rogat,

monetque obseruantissime

RECTOR,
GOTHOFREDVS VOCKERODT.

P. P. GOTHÆ, XXXI. OCT. CID MDCC XVII.

LITTERIS REYHERIANIS.

morabile est, & abicere non potuit desiderium redeundi in Germaniam, & commodandi denuo studiosae iuuentuti operam suam, quamdiu valetudo pateret; tanquam in fatis esset, ut undecunque subsidia, & adminicula ad propagandam veritatem euangelicam inter exteras nationes suppeditarentur.



Pom Wd 2032, QK

VD18



ULB Halle

3

008 349 169





h. 69/4.

RES EVANGELICA
TERTIO SECVLO INCIPIENTE
SARTA TECTA,
ET ILLVSTRIBVS
ERNESTINÆ PIETATIS
INSTITVTIS
ORNATA, AVCTA, AMPLIFICATA.

